MAGNITUDO SAPIENTIÆ EX IMMENSITATE MERCEDIS æstimata.

LAUDATIO PANEGYRICA

D. THOMÆ AQUINATIS,

SANCTISSIMI
Divinæ Voluntatis INTERPRETIS,
SAPIENTISSIMI
ECCLESIÆ DOCTORIS,
Divinæ Vocis oraculo probati, & Mercede DEO Munerati:

Quam in Basilica S. ADALBERTI Ep. & Mart. SACRI ORDINIS PRÆDICATORUM Wratislaviæ inter Anniversaria ejusdem S. Doctoris Solemnia Nonis Martii Anno M.DCC. XXV.
Pronunciavit

Reverendus ac Doctissimus Pater
P. MATHIAS HAYKO, è Soc. JESU,
AA. LL. & PHILOSOPHIÆ DOCTOR,
In Alma Cæsarea Regiáque Universitate Leopoldina Theologiæ Moralis & Linguæ Sanctæ Professor Publicus, & Ordinarius, nec non Scholarum Humaniorum Præfectus.

Wratislaviæ, Typis Caspari Rudolphi Müller, Electoral. & Episcopal. Typograph. Aulic.

HONORI AC VENERATIONI
REVERENDISSIMI
Ac
ILLUSTRISSIMI
DOMINI DOMINI

CAROLI JULII
LIBERI BARONIS
De BEECK,

Cathedralis Ecclesiæ Wratislaviensis Prælati Custodis, & Collegiatæ Ecclesiæ Sanctæ Crucis Canonici, nec non Serenissimi Principis Electoris Trevirensis & Episcopi Wratislaviensis Consiliarii, & Episcopatûs inferioris Circuli Aulæ Præfecti;

DOMINI DOMINI

AC

PATRONI GRATIOSISSIMI.



REVERENDISSIME
Ac
ILLUSTRISSIME
DOMINE DOMINE,
Mecœnas Gratiosissime.

NOn alium præsens Panegyricus ambire debuit Patronum, quàm Te: nec alterius prensare munificentiam quàm Tuam Reverendissime ac Illustrissime Domine. Reliquit Thomæ Deus liberam mercedis, quam mallet, petendæ facultatem, ísque petivit Maximam: Scholæ Thomææ non reliquit Beneficentia Tua liberam deligendi Mecœnatis optionem, sed ultrò te largitus es Optimum. Imperârunt certè tua in nos merita, ut te Patrono Amplissimo uti cogeremur: gratitudo erga te nostra fecit, ut maximè vellemus: & dubium adhucdum est, an propensiore voluntate ducamur, an feliciore necessitate trahamur ad Thomam tibi nuncupandum. Ità Patronum te non impetravit petitio nostra, sed Be-

Domy Prof Grac [illegible]

nignitas tua imperavit. Simul enim ac recordatio tui animum nostrum subiit; vidimus illico non incomitatum te, sed splendidissimo immortalium decorum satellitio incinctum nobis offerri. Vidimus ùt latera tua stiparent dignitatis celsitudo, Prælati auctoritas, Judicis officium, Sapientiæ meritum, in Deum religio, in Cœlites pietas, in omnes affabilis comitas, Virtutum denique omnium corona, & celebritas. Hæc verò cùm singula tanta sint, ut exorari nobis Patronus posses; omnia fecerunt ut deberes. Non commemorabimus iterum facilitatem, humanitatem, ac beneficentiam tuam Reverendissime ac Illustrissime Domine. Nec verò Generis tui avitam Nobilitatem dignis præconiis efferemus; quòd paginæ hujus angustiæ eam non capiant, & unà tecum gloriemur, uberiorem tibi laudum segetem exsurgere ex eo, quod ipsi tibi, quàm quod laudatissimis Majoribus debes; etsi debes plurima. Id autem maximè est tuum, quòd nobilissimæ Prosapiæ tuæ plus contulisse videare, quàm ei acceptum referas ornamenti. Tibi planè debes Reverendissime ac Illustrisime Domine, quòd Cathedralis Divi Joannis Baptistæ Ecclesia tibi magnificentisimè ornando diu multúmque laborârit: & qui ambiri meruerunt ab aliis, amplisimi honores, ambitione longè pulcherrimâ te prensârint. Et finis factus esset contentioni laudatisimæ, si omnes in te confluere, omnes se tibi extollendo subjicere potuissent: nempe cùm honores indeptus sis multos, plures mereris. Faustum sanè certamen, in quo pro eorum non minùs gloria, quàm tua certatum est: nec pro alterutra magìs, quàm

pro

pro felicitate noſtra. Atque hæc quidem eò ſpectant, non ut exornemus te meritis laudibus; non enim id uſquequaque poteſt ſtylus noſter, nec id compendiaria nuncupatio Panegyrici brevis, quin nec modeſtia tua ſinit; ſed ut liceat inde conjicere, duplicis nobis gaudii cauſam abs te tributam; unam quidem, quòd Patronum te nobis maximè volentibus imperâris meritorum tuorum magnitudine: alteram, quòd Panegyrico Aquinatis noſtri ſplendore Illuſtriſsimi Nominis tui honorem tribuas & gloriam. Nec enim vanè exiſtimavimus cum Thoma conventurum optimè hunc Panegyricum, & Panegyrico ipſi ingens decus atque ornamentum acceſſurum, ſi Illuſtriſsimum Nomen tuum in ejus fronte peroraret: cui, utì & Gentilitio Stemmati tuo meritò inſcripſerimus: *Et Decus & Tutela.* Tales *ſtant bellatrices aquilæ.*(a) Talis Leo ſtat, (b) *Largóque ſerenat igne domum* tuam ac Thomam noſtrum. Adſtat non tam *hominis* forma, quam ipſa *humanitas*: quantum hoc *decus*! & erigit vexillum: quantum *præſidium*! (c) *O & præſidium & dulce decus meum!* meritò tibi acclamat Panegyricus, & cumprimis obſtrictiſsimum tibi Studium noſtrum Generale. Sed in Leone tuo majus aliquid ſuſpicimus Reverendiſsime ac Illuſtriſsime Domine. Cuſtos eſt principis Eccleſiæ, ínque ea ipſa pro ejus ornamento & tutela excubat; cùm de aliis Leonibus id duntaxat dicatur:

Eſt *Leo*, ſed CUSTOS, oculis quia dormit apertis:
Templorum idcirco ponitur ante fores. (d)

 Quàm

(a) *Claudian. de Nupt. Honor.* (b) *Statius* 1. *Achilleid.* (c) *Horat.* (d) *Alciatus.*

Quàm igitur bellè in *decus* & *præsidium* refulgentem in Gentilitio Stemmate tuo faciem *Hominis*, faciem *Leonis*, & faciem *Aquilæ* cum Aquinatico *Bove* hodie consociamus, & Illustrissimi Stemmatis tui auxilio clarissimum mysticorum animalium quaternionem conficimus. Habe igitur Thomam Doctorem Ecclesiæ, Prælate Custos Ecclesiæ. Habe Reverendissime ac Illustrissime Domine exiguum hoc devinctissimi affectûs nostri monumentum: & bis erit Panegyricus iste tuus; semel quia eum tibi inscribi jussêre tua in nos beneficia; iterum, quia tibi inscriptum novo beneficio admisisti. Habe nos demum perpetuò tuos cum Thoma, à quo separari non possumus; & tuos quidem meritis tuis, voluntate, affectu, & felici necessitate nostrâ.

Ità vovet
Devinctissimum Studium
Generale
Wratislaviæ ad S. Adalbertum
Ord. Præd.



PANEGYRICUS.



SI quis fortè mirabitur, Auditores, me qui nullâ ſum vel ingenii vel facundiæ laude conſpicuus, hìc rurſum pro roſtris apparere, & à gloria Thomæ Angelici ſemel oppreſſum, eidem iterum tum ſcrutandæ tum commendandæ operam dare; cùm Aquinati laudando nè Arpinatem quidem Oratorem ſuffecturum liquidò compertum omnibus ſit: is ità habeat, extra cenſuram eſſe, quod non præſumptione animi nec ingenii præfidentiâ, ſed majorum imperio ſuſcipitur: eámque demum eſſe laudem pulcherrimam, quæ non ab ingenii & orationis præſtantia, ſed à propenſa laudandi voluntate proficiſcitur. Ego verò ità Thomam demiror, ut mirandi finem nullum faciam: ità ſuſpicio, ut quod anno abhinc tertio ex hoc ambone dixi, Scholaſticæ Theologiæ Primorum Principem ſapientiâ maximum, ac vitæ ſanctitate adhuc majorem, & perpetuò ſentiam & identidem profitear: ità demum laudandum ac celebrandum jam tum ſuſcepi Divum Thomam, ut ab eo, quâ par eſt commendatione celebrando nunquam vel mihi, vel ulli Theologorum ceſſandum eſſe putem. Quare ſi quid in laudibus Angelici Doctoris pertexendis deliquero; id ità iri acceptum ab unoquoque veſtrûm confido, ut me aut culpâ omni vacare; aut pietatis & ſancti officii ſtudio peccâſſe dicatis: quorum utrumque Doctori Angelico honorificum, & neutrum indecorum erit Oratori. Ut ut eſt, tempus monuit, ut quo poſſem linguæ obſequio pro Thoma ſtarem primùm anno æræ Chriſtianæ milleſimo ſeptingenteſimo viceſimo tertio; nempe quadringenteſimo, ex quo Joannes XXII. Pontifex Maximus cœ-

 leſtes

leſtes honores Aquinati decrevit, & ſolemni ritu viri ſanctiſſimi memoriam conſecravit. Et geminandis laudibus ſua hodie tempeſtivitas eſt, quòd natus eſt Thomas anno ſeculi Chriſtiani tertii decimi viceſimo quinto: quòd anno ætatis viceſimo quinto Philoſophos & Theologos ſummâ omnium approbatione & plauſu interpretatus eſt: quòd exinde in annum uſque viceſimum quintum in arduo docendi ſcribendíque munere deſudavit. Igitur tam annus à natali Doctoris Aquinatis quingenteſimus, quàm anni viceſimi quinti epocha tertiùm geminata, ſuo velut prærogativo omine allicit vectigalem tanto Doctori eloquentiam, & ad laudes ejus palàm & magnificè expromendas hortatur. Quòd ſi olim ludi ſeculares centeſimo quoque anno dabantur pompâ ingenti, apparatu ſplendidiſſimo, celebritate maximâ, ſumptuum profuſione incredibili: an tam tenax ſilentii erit Orator, ut tanti Doctoris anniverſariam memoriam, & annum quintùm ſecularem Panegyrico debito defraudet? Quid quòd & annus quiſque centeſimus, qualem ab Ortu Thomæ quintum nunc agimus: & quinquageſimus, in quem uſque ſanctiſſima Thomæ vita ſe exporrexit: & quintus ac viceſimus, quem Thomas publicæ Philoſophicarum & Theologicarum diſciplinarum profeſſionis auſpicem habuit, anni jubilei ſunt ſinguli: & vel ideo anno hoc Jubileo, qui Chriſtiano Orbi fauſtiſſimus illuxit, quantum conſequi poterunt Oratores diſertiſſimi, omnibus & ingenii & eloquentiæ viribus Thomam celebrari monent. Quanquam quid ego temporum periodis circumſcribo Thomæ merita? quid tempori velut admetior? tempori, quod non tam fluit quàm diffluit, ſic oritur ut ſimul moriatur: merita citra hyperbolam immortalia: merita Thomæ, qui & virtutum omnium abſolutiſſimam ideam in ſe expingens, & ſapientiſſimo calamo divina myſteria exſcribens æternitati laboravit. An igitur immortalia Thomæ merita laudibus exornabo? ſed hæc cùm infinita ſint, definitâ anguſtis limitibus facundiâ commendari non poſſunt. Equidem non omnia Thomæ merita commendare inſtitui, quòd & illorum mole opprimerer, & tempore excluderer: nec ſanctitatem pariter & ſapientiam Thomæ celebrandam oratione ſuſcepi, quòd laudans utramque, neutram pro dignitate laudarem. Et magnopere vereor, nè ſub majeſtate incredibilis ſapientiæ, quæ ſola me hodie laudatorem habebit, fatiſcat oratio. Reperi tamen quo & meæ Oratoris tenuitati conſulerem, & Thomam prædicarem tanto autore, quantum vel retuliſſe, Thomam magnificentiſſimè laudâſſe ſit. Nec enim altius eluctari Suada poteſt, quàm ſi Verbi divini

facun-

facundiæ jungatur: nec illuſtrior laus cogitari, quàm quæ à cœlo ſyllabatim dictata ſit. Quod tum me optimo conſilio, atque ex prudentiæ legibus feciſſe dicetis, cùm ego altiùs dicendo provectus laudationis meæ teſtem, autorem, & ſponſorem Deum ſiſtam: ídque demum conficiam, maximam fuiſſe Thomæ ſapientiam, cui maxima merces, penè divinam, cui merces DEUS repenſa ſit. Quocirca ut mecum ex præmio pretium tam admirabilis quàm ſingularis illius ſapientiæ penitiùs cognoſcatis, Verbi divini & Thomæ Prædicatores ſapientiſſimi: adeſte non tam animis quàm benevolentiâ, & in altum laudum Aquinaticarum provehenti orationis cymbam, benignitatis veſtræ favonio aſpirate. Vos quoque, Auditores ſpectatiſſimi, vultis ſapientiæ hujus præſtantiam pernôſſe? ex fructu & mercede mecum æſtimate. Vultis mercedem & fructum cognoſcere? dum dico attendite, dum attenditis favete. Patientia veſtra mihi vela & antennæ, favor ſecundi venti, ſilentium celeuſma erit.

Annus à nata in tempore æterna Sapientia ſeculi ſupra decimum tertii viceſimus quintus Thomam illuſtriſſimis natalibus Orbi dedit Comitem: annus Thomæ inter mortales agentis viceſimus quintus Thomam Orbi dedit Sapientum ducem ac Principem. Annus profectò Orbi univerſo auſpicatus, & quem Jubileum jure dixerim. Tum ille Bos eatenus mutus oppeſſulati oris laxavit oſtium: tum quidquid in ſubliniores ſcientias peccabatur, convulſum ibat: tum velut recluſâ portâ ſcientiarum aureâ, mentis ſuæ theſauros quaquaverſum diffudit. Si hoc initio, tam illuſtri ac ſplendido, ad docendas ſeveriores diſciplinas aggreſſus eſt Thomas: ſi novitium Profeſſorem communis omnium approbatio & plauſus ſecutus eſt: ſi juveni veterani & rude donati Doctores aſſurgebant: ſi ejus Schola, ceu quondam Apollinis templum pro referendis oraculis frequentata: ſi literis redire honos & increſcere, ſi veritas comptiore ornatu & lætitiis omnibus incedere, fugari ignorantiæ caligo, lux & ſplendor Theologiæ, Academiæ toti nova eáque venuſtiſſima facies ipſo ſtatim profeſſorii muneris principio induci: quæ erit eloquendi vis, quæ copia & facultas dicendi, quæ non dicam eleganter ac copioſe, ſed ſimplici narratione exponat, quouſque ſapientia Thomæ ſe deinceps extulerit, ad quod faſtigium quotidianis progreſſibus per ipſos annos quatuor ac viginti aſcenderit: quâ nominis ſui gloriâ, Reipublicæ literariæ fructu, Eccleſiæ totius emolumento, vitam omnem docendo, ſcribendo, concionando exegerit. Non percenſeo laudum præſtan-

ſtantiſſimarum titulos, quibus ob ſapientiæ magnitudinem divinæ voluntatis interpres, Præceptor Angelicus, lingua fidei, Chriſtianæ legis tutor, religionis cenſus, errorum naufragium, & felix veritatis aſſertio audiebat. Non reduco ad calculum monumentorum ſcriptorum numerum, varietatem, præſtantiam; etſi hæc ſint Reginæ Theologiæ inſtructiſſima horrea, publica veritatis armamentaria, inexhauſta orthodoxæ Eccleſiæ panoplia. Non tento denique meis auſpiciis magnificentiſſimam Thomæ commendationem, quòd audax ſanè molimen ſit hominem laudes Angeli conari. Chriſtus hodie pro me loquitur, qui olim locutus eſt pro Thoma. Et ejus ſuccincta oratio immenſus Thomæ panegyricus eſt. Planè prolixa laudatio eſt, cùm DEUS laudat vel diverbio. Commendavit Chriſtus divino teſtimonio Scriptum Thomæ: mercedem quam vellet, quam eligeret, obtulit: hoc eſt, dicto juxtà ac facto ſapientiam Præceptoris Angelici ſuper omnem omnis doctrinæ ſeverioris majeſtatem extulit. Felix liber, cujus probator ac præco Deus eſt: ingens & omnem hominum doctrinam ſupergreſſa ſapientia, cui Deus merces, ac redhoſtimentum eſt. Quàm ſingularis hæc merces Thomæ ſit quò palàm faciam, expendendum eſt, quomodo Abrahæ cum Thoma communis ſit: Thomam enim Patriarchæ tanto conferam ut præferam. *Magnus planè vir Abraham -- quem votis ſuis Philoſophia non potuit æquare:* (1.) Magnus, quin maximus Thomas, qui Theologiam ſe ipsâ majorem fecit, & Theologos omnes ſe ipſo minores. Prorſus id ipſum dixit DEUS Thomæ, quod dixit olim Abrahæ. *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* (2.) Pergeret hìc ſecundo curſu Oratio, niſi hunc reſponſum Abrahæ ſufflaminaret. *Domine DEUS*, ait, *quid dabis mihi? ego vadam absque liberis.* Mira ſententia, reſponſio paradoxa: quaſi mercedem ſibi nullam tributum iri Patriarcha exiſtimet, niſi filii tribuantur: nec ſuam fidem liberaturus ſit DEUS, niſi datis liberis. *Quid dabis mihi? ego vadam absque liberis.* Igitur neceſſe eſt ſtatuere, jam tum DEUM fuiſſe mercedem Patriarchæ, cùm riſum fecit Saræ, & Iſaac filium dedit Abrahæ. Quid filium dico? ſubjungam oportet, quod ſubjunxit DEUS. *Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes.-- Sic erit ſemen tuum.* Tantos dedit DEUS filios Thomæ, ut Pater excelſus: tot dedit, ut Pater multitudinis veridico cognomento dici mereatur. Numera filios, quos Thomæ ſapientia Eccleſiæ genuit, & in Doctorum myriadas incidiſti: numera Doctores Thomæ diſcipulos, & ſtellas numerâſti. Nihil humile cogitare fas eſt de Thomæ filiis: Angelici Præceptoris diſcipuli non

(1.) *S. Ambroſ. de Abraham libr. 1. cap. 2.* (2.) *Geneſ. 15. 1.*

non ſunt recenſendi in terra: *Suſpice cœlum*; Scilicet quos naſcendi conditio in terris collocavit, ſapientia & eruditio cœlis infixit ſtellas minimè erraticas. Neque enim ſtellarum nomen tam aptè & luculentè convenire quis arbitretur filiis Abrahami, quàm illud nervosè ac propriè Doctoribus Thomæ filiis tribuatur. Niſi enim magnopere falli me contingat, numerum ibi Deus indicatum voluit, cùm Patriarcham affatus dixit, *Numera ſtellas*; non ſplendorem & dignitatem, iſtis quidem verbis, ivit explicatum. Id quod ego ex ſacrarum Literarum loco planè gemino intelligere ac demonſtrare mihi videor. Nunquid enim Abrahæ jam antè pollicitatione ſanctiſſimâ hac verborum formâ illud ipſum affirmavit Deus: *Faciam ſemen tuum ſicut pulverem terræ*. (3.) Nunquid ipſum illud promiſſione repetitâ Abrahæ confirmavit: *Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris*. (4.) Erítne aliquis qui cùm pulverem terræ, cùm arenam maris nominatam audiet, excelſum ac eminens quidpiam præter numerum eſſe ſignificatum auſit affirmare? Itaque Patri multitudinis hìc ſoboles innumerabilis promittitur, non verò ſobolis dignitas & claritudo oſtenditur. Approbavi vobis, ùt non vanè arbitror, Auditores, mentem meam; ſed necdum mihi, niſi & hoc adjecero. Plures Abrahæ erant filii, unus ex Agare, multi ex Cethura: ſed non erant ſemen, quod peculiaribus prærogativis cumularet DEUS. *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*. (5.) Iſaacum excipit Jacob. Hic demum multæ prolis pater duodecim filios, & in filiis duodecim tribus totidem gignit: homines qui terram implerent, numerum omnem excederent. Quot hìc ſtellas computabimus in numero hominum penè infinito, ſi quotquot ſunt Abrahæ poſteri, tot ſtellas eſſe putabimus? Ego verò ex omni Abramidarum numero non niſi ſtellam unam in toto ſacrarum Paginarum recenſu invenire mihi videor. Sic enim habent canonici Numeri: *Orietur*, inquiunt, *ſtella ex Jacob*. (6.) Ecce ſtellam, non ſtellas. Hæc nimirum laus vobis Thomæ filiis debebatur, Patres Admodum Reverendi, quos hodie laudibus poſt Thomam in cœlum effero, non tam pietate, quâ in vos feror, meâ; quàm Divini teſtimonii, quo trahor, autoritate. Accumulabo enim Divinarum Scripturarum oracula, quòd perinde turpe ſit Theologum non allatis in medium ſacris Paginis loqui, ac Juriſconſultum ſinè legum ac Canonum Scitis ſermocinari. Jam verò quàm illuſtre in rem meam, quàm ſplendidum pro dignitate veſtra illud eſt Danielis? Nam advertite animum. *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in*

(3) *Geneſ.* 13. 16. (4) *Ibid. c.* 22, 17. (5) *Geneſ.* 21. 12. (6) *Numer.* 24. 17.

per-

perpetuas æternitates. (7.) Felices Thomæ diſcipulos, quibus doctrinæ ſplendorem tantum nè odium quidem ipſum negaverit: livor etiam videre ſe profitetur, dum invidet. Iterum iterúmque felices Thomæ filios, qui erudiendis ad juſtitiam mortalium plurimis ſtellarum nomen ac claritatem ſuo jure ſunt conſecuti. Neque tamen uſqueadeò prodigus in laudandis vobis, nec tantopere parcus in commendando Thoma veſtro ero, Patres Religioſiſſimi, ut unos ſolos vos Thomæ filios ac diſcipulos faciam: nec Thomam omnium omnino Theologorum Patrem ac Magiſtrum ſtatuam. Sanè ille ſolus Thoma Magiſtro non glorietur, ille ſe ex ejus doctrina profeciſſe neget, qui aut extra Theologorum cenſum, aut extra Eccleſiæ ſinum eſt. Eſt certè quòd Theologis omnibus gratuler, mihi gaudeam, quo meritò ſanctiſſimus Ordo veſter glorietur. Sed væ vobis proles adulteræ & ſpuria genimina, homines ſequioris doctrinæ & damnatorum dogmatum aſſertores, qui graviſſimâ & nunquam ſatis deteſtandâ injuriâ Thomam ducem ac patrem mentimini. Nobiliſſimus ille, vos nullius numeri: ille pius Eccleſiæ Matris filius, vos viperæ: ille apprime Catholicus, vos Janſenii Iprenſis proles, vos Arnaldi progenies, vos Queſnelli abortus. An vos Eccleſiam fallere? illi vos tenebroſis artibus imponere, quam Spiritus veritatis regit ac illuſtrat? Proh peſtis! proh tortuoſi ſerpentis ſatus! pro ſcelera in ipſa Eccleſiæ viſcera quò tectiùs eò immaniùs graſſantia! Novit hos Gyges Eccleſia, & dudum ſacris diris devotos ſemper omni deteſtatione execrabitur. Nec enim fallit anulus errare neſciam; quantumvis ſic obvertant palam, ut celent Janſenium, & damnatiſſimo mendacio oſtendant Thomam & Auguſtinum. Non eſt perfugium conſceleratiſſimæ factioni ad Sanctorum adyta: non tutela, non præſidium in genuinis Auguſtini & Thomæ placitis, quorum verba ceu maligna echo truncata reddunt, non integra: in neutrius luce tenebrionibus ullis latere conceditur. Sed à noctuis ad aquilas, à terræ filiis ad filios Thomæ, à cœno ad cœlum, à quiſquiliis his ad ſtellas revertamur. Suſpiciat jam cœlum uterque Abraham: ubi vetus ille ſtellarum typo expreſſam leget filiorum ſuorum multitudinem; ibi novus non aſteriſcis, ſed grandibus aſtris notatum leget filiorum ſuorum & numerum, & ſplendorem. Ergo confeci quod volui, Auditores, ac velut ante oculos veſtros ſtatui Thomæ filios: & ſimul harum ſtellarum numerum innumerum, ſimul ſplendorem illuſtriſſimum indigitavi. Neminem quidem omnium Theologorum cum Thomæ ſplendore compono, quòd Sol ille ſolus ſit: neminem Thomæ parem ſtatuo, quòd meâ ſententiâ hujus unius

An-

(7) *Daniel.* 12, 3.

Angeli ſpecies in plures multiplicari non poſſit. Satìs tamen mihi ſupérque eſt, Auditores, quaſi obtutibus veſtris ſtitiſſe Thomæ diſcipulos, Orbis Magiſtros; commonſtrâſſe ſtellas doctrinarum face fulgentiſſimas, numero infinitas. Quis enim ſupputus eos capiat? quis inconnivis oculis eorum lumen ſpeculetur, qui replent Scriptorum omnium monumenta, famam, æternitatem? *Quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Immorarer his diutiùs, ſi ea obſcura cuiquam eſſe poſſent: enumerarem primæ magnitudinis ſtellas, niſi aſpectabiles omnibus magìs ſuſpici mererentur, quàm dici. Non committam igitur, ut in hoc ampliſſimarum laudum mare evehar: quando hìc exitum difficiliùs reperire eſt quàm ingreſſum; & anguſtus orationis modus tot tantorúmque virorum encomiis imparem ſe fateatur eſt neceſſe. Quis enim vel te ſolum dignâ laudatione proſequi poſſit BENEDICTE XIII. Pont. Max. quem Principem naſci dedit avita Celſiſſimæ URSINÆ DOMûs claritas: quem Chriſti & Thomæ ſectatorem fecit rerum caducarum omnium deſpicientia, & religioſiſſimæ vitæ ac ſcientiarum ſtudium: quem Principem Eccleſiæ Cardinalem juſſit virtus & ſapientia: quem Archiepiſcopum Beneventanum legit rerum gerendarum longo uſu firmata prudentia, vigilantia, divinæ gloriæ & animarum zelus: quem denique in Petri Cathedram, faſtigium illud terris altius & cœlo caput inſerens, ſublimârunt & immortalia merita, & populorum vota, & Spiritûs Sancti ſuffragium; qui cùm vitam ſanctiſſimè ageres, ſanxit ut publicâ etiam Eccleſiæ voce, maximo Orbis totius & vicario Deitatis Magiſtratu Sanctiſſimus audires. Laborabant ſecula quàm diu, tam non fruſtrà, ut talem te tantúmque Pontificem parerent: laborabunt ſecula ventura omnia, & fruſtrà laborabunt, ut commeritis te præconiis exornent. Et tuas ego laudes moliar? audeam ego ire per laudes Thomæ ſequacium plurium? per encomia ſingulorum? Aſt ipſi laus ſua & magnifica prædicatio ſunt Thomæ filii, ipſi laudum perpetuarum mundo materies, ipſi ſplendoribus Thomæ illuſtres ſunt, in cujus auguſtiſſimo lumine apricantur. Et bene felicitérque cecidit quòd Sol iſte Theologiæ ſtellas illas, innumeros ſatellites ejus & perpetuos comites ajo, lucis ſuæ magnitudine oculis noſtris adeò non ſubtraxerit, ut quantò propiùs hunc ſplendoris fontem circumſiſtunt, tantò illuſtriùs ad miraculum uſque inclareſcant. Habemus itaque Thomam filiorum ſuorum, cumprimis domeſticorum in ejus verba jurantium, immenſam gloriam: habemus filios luculentiſſimam Thomæ mercedem. Neſcio tamen quî fiat, ut his, quæ prolixè non tamen abs re dice-

bam, ipſe minimè acquieſcam. Et verò Rex Pſaltes aliam omnem mihi cogitationem indere videtur. Quàm illuſtris, tam intricatus, mihi quidem, locus ejus occurrit: nec ſat ſcio, an ex eo me expediam. *Ecce*, ait, *hereditas Domini, filii: merces, fructus ventris.* (8.) Non putem equidem puram putam, & myſterii vacuam ſynonymiam his vocibus contineri. Nempe parciora verborum ſunt divina monumenta, cùm myſteriis nullo non loco abundent. An in hanc cogitationem rectè veniam, ipſi judicate: nihil enim ego temere affirmabo. *Ecce hereditas Domini, filii.* Thomæ filios velut hereditatem ſuam vendicat ſibi DEUS: hi ſunt peculiaris ejus populus, ſunt Domini gloria, quam alteri non dabit. Quod ſi ità eſt, ùt ſanè eſt; nolim ut ditem Thomam, hereditatem Domini Domino abjudicare. Sed quænam tandem merces Thomam manet? in patulo eſt: *Merces, fructus ventris.* Ergóne cùm filium unum petat, & unico triumphet Abraham Patriarcha Hebræorum, etiam unicum filium unicè petat Patriarcha Theologorum? Dicerem, Auditores, liberè, ſi ſatìs conſtitutum haberem quid ſentiam: & ſatìs promptum eſſet effari, quod ſubit animum. Inſtituto tamen erotemati aut affirmatè reſpondeo, aut propior ſum affirmanti. Sed quouſque me abripiat æſtus commendandi Doctoris Angelici, non maturè planè mecum exegi, qui filium peti ab Angelo ſomniavi veriùs quàm judicavi. Sit licèt Thomas compage carneâ, in carne tamen eſt Angelus, & alios liberos neſcit quàm libros. Et jure de hac Intelligentia tritum illud intelligo, *Nihil deſiderare de ſeculo poteſt, qui ſeculo major eſt.* Semper ille mundum exoſus lubricas ejus illecebras procul relegavit, & rebellem concupiſcentiam titione, ceu victrici clavâ debellavit. Verbo dicam. Intelligentiarum partus *Verbum mentis* eſt, non *Fructus ventris.* Quò igitur vertar? quid peti dicam à Doctore Angelico? quando dudum, quidquid temporaneum eſt & viciſſitudini obnoxium, averſatione pulcherrimâ dedignatus projecit. Si per vos licet, & licet ſcio, Auditores; dicam quod in mentem venit, & hìc loci ac temporis expromi apud vos tam debet quàm poteſt. Filium poſtulat Thomas, ſed Deum: Homo-Angelus Deum-Hominem votis omnibus ardet indipiſci. Hanc ſibi laborum omnium unam mercedem poſcit. Sic quidem ſtatuo. At necdum mihi Abrahamus excidit: & juvat de eo pauliſper loqui, quò aptiùs loquar de Thoma. Iſaacum poſcit Abraham, & in Iſaaco JEsum. Si autore hujus ſententiæ opus eſt, unum in rem præſentem adduco Ambroſium; hoc eſt multos in uno, ùt qui pro nube teſtium eſt. Sic autem infit. *Per Iſaac poſſumus intelligere Dominum JEſum, quem in principio* Evan-

(8.) *Pſalm. 126. 3.*

Evangelii ſecundùm Matthæum Abrahæ filium legimus. (9.) JEsum igitur petit Abraham, JEsum Thomas. En ùt planè liqueat, quàm bellè Aquinatem inter & Abrahamum conveniat. Redeo in viam & orbitam. *Verbum mentis* petit Angelus noſter; ſed Verbum æternum, ſed Verbum mentis divinæ. *Fructum ventris* petit; ſed *Benedictum fructum ventris* immaculatæ Deiparæ. O votum felix! ô petitionem Sapientum Anteſignano dignam! ô præſtantiſſimum deſideriorum centrum, præ quo meritò contempſiſti univerſa Doctor ſapientiſſime. Infudit tibi mundus nobiliſſimum avitæ ſtirpis ſanguinem? deſpexiſti, ùt qui alio non gloriareris ſanguine, quam quo lotus es à Salvatore. Obtulit ſuas caro illecebras? repudiâſti etiam innocentes, ùt cui unicè in deliciis eſſet *Verbum caro factum.* Ipſe te honor tui candidatus obtruſis quà ſacris quà profanis faſcibus negotioſiſſimè ambivit? effugiſti etiam inſequentem, ùt qui honoris faſtigium duceres abjici, & contemni cum Chriſto. Ipſa ſapientiæ celebritas nomen tuum juxtà ac doctrinam altiſſimè efferebat? non potuit animum; qui tantam hauſit ſapientiam ex libro humilis Crucifixi. Quin jam unà mecum Auditores admirabundi aſpicitis Crucifixi diſcipulum, quē Orbis magiſtrū mecum ſuſpexiſtis. Nunc enim vertenda theatri facies, & alia pompa inducenda. Videte Thomā; ùt Crucis cathedræ adgeniculatur: ùt pendentis è cruce Redemptoris lateri propinquat ore, & indè ſugit divina myſteria, unde fluxerunt Sacramenta. Videte in preces manus erectas, quaſi illis caperet arcana cœleſtia, quibus ſcriberet. Videte in uno Deo defixos oculos, tanquam averſatores terræ, patientes divinorum. Videte aures arrectas ad eloquia Domini, ſurdas ad ſtrepitus negotiorum terrenorum. Imò audite, quod ipſæ ex Chriſto cruci affixo audiunt. Audite, & ſtupete. *Bene ſcripſiſti de me Thoma. Quam ergo mercedem accipies?* (10.) O vocem mirificam! ô commendationem obſtupeſcendam! Quid hìc primùm mirabimur, Auditores? an quòd ſcripturam Thomæ probet Chriſtus, qui character eſt Patris? an quòd Thomæ ampliſſimæ & quantælibet mercedis ſit optio? Enimverò magnum eſt, quòd operi Thomæ idem hìc elogium quod operi ipſius DEI tribuitur. Vidit Deus opus ſuum quod condidit, & vidit quòd eſſet bonū. Vidit opus quod Thomas condidit, & vidit quòd eſſet bonū. Ecce diſpaxis operis par conditio, quia laus non impar. Magnum profectò eſt hoc, & præcipuâ admiratione dignum; necdum tamen eſt illud, quod dicturio. Audite enim. Vidit Deus opus ſuum, & benedixit: vidit opus Thomæ, & dixit *Bene.* Parùm abeſt ut dicam, niſi ſobriam ſententiam quis

(9.) *Ambroſ. de Abrah. l. 1. in c. 15. Geneſ.* (10.) *Breviar. Rom. 7. Martii. Guilielm. Thoco in Vita S. Thomæ cap. 6. & 9.*

quis in malam partem accipiat; plus laudis impendit Deus operi Thomæ quàm ſuo. Recognoſcamus quæ diximus. Vidit DEUS opus ſuum, & per Moyſen ſcripſit, quòd eſſet *bonum*: vidit Scriptum Thomæ, & dixit, quòd ſcriptum eſſet *bene*. Nimirum ſimplex laudatio eſt, quæ Scriptum eſſe bonum aſſerit: laus duplex eſt, quæ Scriptum non duntaxat *bonum*, ſed & bene ſcriptum eſſe confirmat. Quòd ſi quis erit, qui hæc magnificè magìs quàm verè dici contendat, nihil repugnabo; etſi & hoc non rectè minùs quàm ſplendidè poſſem adjicere: Opus Dei à Deo eſt ex nihilo: Opus Thomæ de Deo & ex Deo eſt. Dicat hìc nonnemo: Opus Dei ex nihilo miraculum eſt. Eſt ſanè, quis abnuat? ſed & Thomæ opus perpetuum quoddam & merum miraculum eſt. Tot miracula patravit Thomas, quot Quæſtiones determinavit. Non mea hæc, quanquam & mea; ſed Joannis XXII. Pont. Max. ex Vaticano Oraculo ſententia eſt. At illud omni aſſeveratione affirmabo, ſingulare encomii genus eſſe, *Bene ſcripſiſti*; nec ulli poſt natos homines cum Thoma commune. Equidem in Scripturis ſacris lego ſemel atque iterum, *Bene omnia ſunt locuti.* (11.) Lego, *Bene egiſtis.* (12.) Lego dictum à Chriſto, *Bene dixiſti.* (13.) Lego denique, ut mittam alia, *Bene facitis ſcribentes.* (14.) Sed nullibi legere eſt in verbo DEI hoc cuiquam datum eſſe elogium: *Bene ſcripſiſti.* Adeò loquitur quædam Verbum Deus, quæ non loquitur verbum Dei. Quorſum hæc? niſi ut maximam Thomæ ſapientiam fuiſſe perſuadeamur, cui ſanctiſſimâ teſtificatione Deus ipſe ſuffragatur. Abſint teſtes, abſint tabulæ, abſint Thomæ volumina ſapientiam ſui conditoris ipſis ſolaribus radiis expingentia, abſint Pontificum ſummorum effata; nihil his opus eſt: plus dicit Chriſti una vox *Bene.* Ipſe dixit: ità probatum, peroratum, perſuaſum eſt. Ipſe dixit: nec potuiſſet dicere *Bene*, ſi Thomas non ſcripſiſſet bene. Non fallit quod dicitur, dum falli non poteſt qui loquitur. Silete linguæ, dum Deus loquitur: taceant panegyrici, ubi Deus panegyriſtes eſt. Imò verò voci divinæ conſonate voces hominum, & quam laudem præivit Chriſtus, repetitote: Bene ſcripſit de Chriſto Thomas, bene ſcripſit. *Excepit doctrinam Domini, & qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem.* (15.) Plus doctrinæ excepit ex uno libro Crucifixi Domini Thomas Angelicus, quàm excerpſerit ex libris omnibus. Plus precibus ad Deũ fuſis quàm ſtudio didici; Thomas dixit: (16.) *Vigilavit* ad Deum crucifixum intempeſtæ noctis ſilentio; Acta ejus & teſtes dicunt. Et *invenit benedictionem*: dum *Bene ſcripſiſti*, Chriſtus dixit. *Dicite* proinde, *Dicite juſto, quoniam bene: quoniam fructum adin-*

(11.) *Deuteron.* 5. ℣. 28. & *cap.* 18. ℣. 17. (12.) *Judic.* 9. ℣. 16. (13.) *Joann.* 4. ℣. 17. (14.) 1. *Machab.* 12. ℣. 22. (15.) *Eccli.* 32. 18. (16) *Breviar. Rom.* & *Proceſſus Neapol. cap.* 7.

ven-

ventionum suarum comedet.(17.) Quæretis fortasse Auditores, quis Thomæ fructus, quæ adinventio sit? Dicam, vel si non quæratis. Exorta erat Lutetiæ Parisiorum in principe illa Orbis Academia perdifficilis quæstio, & acerrimis disputationibus ventilata. Implectebantur difficultates in nodum Gordium, quem quò studiosiùs explicare niterentur viri sapientissimi, ampliùs implicabant. Et quæstio erat, de dimensionibus corporis Christi; & quî fieret ut panis in Eucharistia non esset, accidentia tamen sinè subjecta substantia, post transubstantiationem salva persisterent? Credebant quidem hæc viri apprimè Catholici; sed quomodo ab Aristotelis & Arabum Philosophorum objectationibus, adhæc naturæ Omnipotentiæ Dei usquè obluctantis paralogismis defenderent, non pervidebant. Consulitur itaque Thomas. Accipit provinciam, & precibus consulit Dominum. Sub has dat se labori bene auspicatò: conficit Scriptum, & Gordio extricato perficit. Tum nocte concubiâ quid censuisset ipse, quid scripsisset, Crucifixo Salvatori censendum offert. Orat divinam sententiam, & exorat. Approbatur Scriptum Thomæ, & divinæ vocis calamo subscribitur: *Bene scripsisti de me Thoma.* (18.) Sed quid tam diu demiramur testificationem Christi, & demoramur; nec transimus ad demirandum mercedem & fructum Thomæ Christum. *Dicite justo, quoniam bene: quoniam fructum adinventionum suarum comedet.* Adinventio Thomæ adinventio veritatis est, evolutio nodosarum difficultatum, explicatio sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti uberrima. Pro Christo laboravit Thomas; Christum igitur habeat mercedem. Habeat benedictum fructum ventris: & eo, quem ad Aras comedit indies in via, æternùm perfruatur beatissimus in patria. Et verò Christum petiit, Christum obtinuit. Certè enim quantæcunque demum mercedis Thomæ fit optio: *Bene scripsisti de me Thoma. Quam ergo mercedem accipies?* Et Deum Thomas optavit mercedem: *Non aliam Domine, nisi te ipsum.* Sicut mercedem optare non potuit majorem, ità minorem non debuit. Nec sapiens fuisset Thomas, si aliud petiisset, quàm Deum: nec optationem daturus Deus, nisi non aliam mercedem optaturum præscisset quàm Deum. O verè munificentissimum Deum, qui dedit optationem rerum omnium! ô certè sapientissimum Thomam, qui optavit unum, sed Optimum. Sed hoc adeò non singulare, nec Aquinati proprium esse dicetis, Auditores, ut justis & Sanctis omnibus cum Thoma commune sit. *Dicite justo, quoniam bene.* Hæc merces Abrahæ promittitur, & cùm illi, tum omnibus cœli incolis exhibetur. Ergo ruunt, ajetis, quæ

(17.) *Isaiæ 3. ℣. 10.* (18.) *Guil. Thoco in Vita. cap. 9.*

tanto molimine superstruximus, postquam fundamentum infirmum & caducum jecimus. Atqui non ità est. Stat orationis moles basi suâ: nec nutat, nec labat. Quid ita? Dicam paucis. Aliis Deus hereditas solùm est, ùt beatis infantibus: aliis hereditas & merces, sed impetrata est. Thomæ Deus merces non impetrata, sed electa est. *Quam ergo mercedem accipies?* Ut quid enim Thomæ merces quantalibet eligenda deferretur, nisi ut Deus merces eligeretur? Sed majus est, quod dicturus sum: imò nunc dico. Videlicet Sanctis omnibus Deus merces est, quòd bene vixerint; Thomæ, quòd bene scripserit. Ecce enim autorem pronuntiati mei Deum. *Bene scripsisti de me Thoma. Quam ergo mercedem accipies?* Nihil addo, quòd res liquidò jam probata, & minimè obscura est. Istud autem, ut Thomæ Doctoris laudibus geminandis ipsimet superjiciatis, Auditores, indictum mihi, vobis dicendum relinquo. Deductis in beatas illas sedes coloniis Deus una merces fit, quòd bene vixerint: Thomæ Deus geminata merces fit, quòd bene vixerit, & bene scripserit. Hoc si quis singulare & uni Thomæ proprium esse inficietur; edicat, cui omnium sanctissimorum virorum, cui omnium Angelorum aut hominum unquam dixerit Deus, *Bene scripsisti. Quam ergo mercedem accipies?* Dum hoc monstretur, & monstrabitur nunquam, non muto, non retracto, sed repeto sententiam. Aliorum vitæ merces Deus redditur; sed Thomæ Angelico fit Deus merces & vitæ & sapientiæ. Non enim vereor, ut nè nimius in Præceptoris quàm communis tam singularis laudibus sim, quem nemo satìs laudaverit. Nec si profusior in eo laudando forem, succenserent Oratori beatissimi Cœlites, ùt in quos non cadit invidia: nec caderet injuria, quòd id duntaxat dicere me arbitror, quod Deum his ipsis verbis dixisse existimo, *Bene scripsisti. Quam ergo mercedem accipies?* An verò hìc laudum sapientiæ Aquinaticæ finis? hic apex? hoc fastigium est? Non sanè. Utique parcus in encomia Thomææ sapientiæ fuit, qui minùs bene scripsit: *Pervenit ad summum Summa Thomæ.* Grandius elogium est: Pervenit ad summum vel tantillum Scriptum Thomæ: Scriptum, in quo patet Deus Eucharisticus, qui latet sub velo accidentium: Scriptum, quod non improbet nisi atheus, postquam probavit Deus: Scriptum summum, quod Deum habere meruit & summum arbitrum & mercedem summam. Quid hoc miraculi est? Non vastum volumen, sed commentariolum; non codicem, sed planè codicillum offert Thomas Deo: & refert mercedem Deum. An dicam? vel tota sapientia Thomæ in exili opusculo est, cui merces Deus totus redditur: vel certè tan-

ta,

Dom. Prof: per Bad. Wurb

ta, ut Deo, hoc eſt, mercede ſummâ remunerari mereatur. An dicam? vel opus ſummum hæc opella eſt, vel ſumma merces non probè admenſa eſt opellæ. Conferamus mercedem ſapientiæ, & ſapientiam mercedi; ſed ſobriè. Non enim tam dementes ſumus, ut eodem loco & pretio Deum & Thomæ ſapientiam habeamus. Abſit ut hoc vel cogitet Chriſtianus Theologus, quod vel Philoſophus Ethnicus reprehendat. Quærit Ariſtoteles (19.) cur veteres ſua quidem Gymnicis certaminibus præmia conſtituerint, nullum verò ſapientiæ decreverint. Et cauſam inſinuat tergeminam, duas quidem ad inſtitutum noſtrum attinentes. Primùm in hanc ſententiam ait. Si pro præmio certandum eſſet ſapientibus, quibus arbitris certaretur? quinam uni adjudicarent victoriam & præmium, aliis omnibus abjudicarent? An pari ſapientiâ homines ſederent Judices? an majore? ſed his utriſque ſtatuta præmia, utriſque concertandum eſſet; nec qui minùs ſaperent, idonei judices eſſe poſſent: in Gymnaſticis autem concertationibus idoneè judicat, quisquis de populo aſſidet. Tum ſubjicit: *Præmium præſtantius ſuo certamine eſſe decet: itaque certaminum Gymnicorum præmium optatius & præſtantius quàm ipſa concertatio eſt. Prudentiâ verò* & ſapientiâ *quodnam præmium majus eſſe poſſit?* ſic ille. Contrà præmium decrevit Thomæ ſapientiæ, qui unus potuit Deus: ipſe ſpectator, ipſe teſtis, ipſe arbiter, ipſe agonotheta. *Bene ſcripſiſti de me Thoma. Quam ergo mercedem accipies?* An minorem? an ſapientiæ tuæ comparem? Neutiquam: ſapientiæ præmium ſapientiâ præſtantius eſſe debet. Igitur mercedem majorem conſequeris? imò verò maximam: *Non aliam Domine, niſi te ipſum.* Res paradoxa, ſed vera. Ut probè admenſum ſit corpus corpori, moles moli, tempus tempori; utriſque eadem dimenſio conveniat opus eſt; ut ſapientiæ ſuum admenſum ſit præmium, ſapientia præmio minor, præmium contrà ſapientiâ majus ſit, oportet. Sic admetitur Deus mercedem Thomæ; ſed liberaliter, ſed profusè: nec dignum ſapientiâ ejus præmium reddere ſe putat, niſi reddat maximum: & muneretur ſe ipſo, ſe toto, ſe optimo æternùm poſſidendo. Sic, ut majus præmium reddatur ſapientiæ, vulgaris & ordinarius canon eſt: quòd Thomæ ſapientiæ præmium repræſentetur maximum, facit ſapientiæ magnitudo ſingularis; & remuneratorium Thomæ privilegium eſt.

Perorabo Auditores. Neceſſe enim eſt ibi commendandi Thomæ finem facere, ubi fecit Chriſtus. Quod unum reſtat, ſupremis verbis unà mecum *Dicite juſto, quoniam bene:* quia bene vixit; quod Thomæ cum

maxi-

(19.) *Problematum Sect. 30. Probl. 10.*

maximis Sanctis commune est. Dicite Sapienti, quoniam bene: quia bene scripsit, & optimè elegit; quod Thomæ soli privatim proprium est. Maximi facite Thomæ sapientiam, quam vivæ vocis oraculo probavit Deus Maximus. Metimini Thomæ magnitudinem ex magnitudine sapientiæ: magnitudinem sapientiæ ex immensitate mercedis æstimate. Demiremini, quem imitari ex æquo nemo homo potest. Consectemini sapientiæ studium, etsi Thomam consequi non potestis: quem vel longo intervallo assectari præclarum est, dum assequi adynaton est. Nec tam ego vobis Thomam Magistrum præstituo; quàm ejus vos condiscipulatu volo in Schola Christi crucifixi ampliùs nobilitari, ad justitiam pleniùs erudiri, ad amorem divinæ sapientiæ usquè inflammari, ad percipiendam denique mercedem sapientiæ Deum, Thomæ exemplo & provocari perpetim, & optimè comparari. At tu macte tantâ sapientiâ, & tanto præcone ac mercede oblatâ, electâ, possessâ macte Doctor Angelice, Pater excelse, Pater multitudinis Sapientum: proba & ama Oratorem tuum, qui ut JESU SOCIUM hac etiam re se probaret, cum JESU te laudavit. Ut verò laudationem hanc immortalis gloriæ tuæ studiosissimam non probes, nihil subtimeo: nam quas laudes sapientiæ tuæ JESUS æterna Sapientia DIXIT, ego

DICEBAM.



